

## Cartulaire de l'Abbaye de Redon en Bretagne: [832–1124], Nr. 346

Anno millesimo centesimo vicesimo .III.tio ab incarnatione Domini, .IIII.to non. iunii, luna .V.ta, indictione prima, in sancto sabbato Pentecostes, regnum in Francia Ludovico rege tenente, et Conano in Britannia consulatum, et Morvano venetensem episcopatum, evenit quod Riocus de Musullac, corporis infirmitate coactus, in manus domni Hervei rotonensis abbatis, assumens habitum religionis, se tradiderit, et quod aecclesiae Salvatoris, pro eiusdem Salvatoris amore, duas villas cum omnibus redditibus earum qui in talionibus, in frumento, in arietibus vel pastionibus et in aliis serviciis iure humano requiruntur, quarum una Querglei vocatur et altera Branquasset, vel villa Freoli pertus in elemosinam dederit; et quod calumpniam quinque solidorum, quos de quadam villa Salvatoris quae Broolis dicitur, requirebat, omnino dimiserit, hoc totum concedentibus et quantum ad ipsos pertinebat, velud sui iuris nonquam fuisset liberum, in perpetuum habendum, sine alicuius obsequii calumpnia, predictae aecclesiae omnino tradentibus filii Guethenoco et Oliverio et generis suis Matheo filio Freori et Petro filio Alani et Freolo filio Riualioni, et etiam filiabus suis horum uxoribus. Huius rei sunt testes predicti filii et generi Riochi et uxor eius Clara et filie et maxima pars baronum; de monachis vero: ipse abbas Herveus et Daniel et Moyses, Conanus et Lausoianus et Laurentius, sacerdos.